



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

De nou leuiter circum cursando. n. 29.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

pœnitendo labore. Et vero quantus illa thesaurus sit ad omnem siue orandi, siue conuerlandi occasionem is solus nouit qui paulo attentius, adhibito magistro Deo, eam per singula capita euoluerit, sensus quos potuerit literales, morales, mysticos, cum omni humilitate eruendo, & ad praxim quotidianam referendo. Quis deinde fructus, quæ voluptas in vitis Sanctorum, vel quorum scriptura meminit, vel aliorum? quorum enarratis rebus gestis, si quæ realia, mirificè capiuntur omnium hominum animi, & ad virtutem informantur. Denique vnusquisque pro ingenio suo & loci natura in quo habitat, eum delectum librorum facere conetur quo & paupertati consulat, & tēpus utiliter terat, & non temere perdat quod multis annis in Collegijs peperit. Procul autem sit ab vnoquoque vestrum bonas horas inlumere friuolis quibusdam & de truiuo venientibus libris, vel compositis ad aures vulgi inspiciendis fabulis.

Quibus liberum erit cum proximo quando volunt, & quantum volunt conuersari, ijs non minus necessaria est certa horarum distributio ne sint nimium effusi, quam prioribus vt auertant tedium. Itaque illam quamprimum describent, & constanter obseruabunt. Et quamuis pro varietate circumstantiarum variari possit aliquando in quibusdam, præcipua tamen capita, quæ horam surgendi, orationem matutinam, lectionem spiritualem, litanias, Exanima, & tempus somni continent, vix vnquam & difficillimè infringi permittent, Aliud enim aliud trahit, & nisi nostrâ constantiâ figamus metam aliorum non necessaria importunitati, & tanquam de vite spuria vitulina, quæ radices altas nunquam agunt, præcidamus, fructus perit, & datur aditus negotijs quæ nihilo meliora sunt otio, quod merito S. P. N. malorum omnium originem appellat. Venerabuntur ex aduerso seculares hominem temporis auidum, cuius præclaram oeconomiam cum in vobis, quod facile fiet, animaduertent, id lucrabimini quod regula 15. Missionum in omni nostra conuersatione exoptat, vt iuxta Charitatis regulam (quæ haud dubiè nobis ipsis præcipuè inuigilandum docet) nonnunquam ingenio eorum initio vos attemperantes, quatenus ratio & virtus feret, ad id tandem eos cum Dei gratia perducatis quod illis in Dominomagis conferre vos ipsi iudicabitis; & libertate illa potiemini de qua gloriatur Apostolus, *Sed ego sub nullius redigar potestate.*

XXIX. Consilium deinde Christi Domini sequentes, *In quamcunq; domum intraueritis ibi manete, & inde ne exeatis.* Et quod alio loco ait, *Nolite transire de domo in domum, sed in eadem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt*, vt Constantiæ simul & Temperantiæ præceptum accipite. Turpe est viro Religioso cursitare plulquam necesse est; neque domi posse consistere; & cui ieiunium debet esse cibus, de ciborum gustu & de condimentis agere Censorem, vel se ostendere sollicitum, *Noli*, inquit A-

1. Cor. 6.

12.

De non leuiter circumcur-

sando.

lu. x. 9. 4.

c. 10. 7.

postolus, *cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est*: quod huc etiam conuenit. Quo enim animo accipient seculares, si qui mundum nos abieciisse profiteremur, & quorum (secundum regulam nostram quam fortasse eorum

1635.

1. Tim. 5. 8

Morci. 7.  
24.

aliqui viderunt) maius & impensius studium esse debet querere maiorem nostri ipsius abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad fieri poterit, mortificationem, habentes alimenta & quibus tegamur, non sumus contenti, quibus domestici, nobis forte in seculo meliores, sunt contenti, sed quæramus in cibis, in cubiculis, in vestibis, in cæteris huius mundi rebus & reculis, sumptum, inanem speciem, oblectationem. Superfluum etiam existimare debetis, & otiosum quidquid in itineribus non necessarijs infamitur, sæpe etiam datur ansa non parua suspicandi nos *domesticorum curam non habere*, (quod graui censura notat Apostolus in Viduis, & Chrylostomus ad omnes extendit.) Itaque fere non nisi vocati prodeant, & cum ab ipsis domesticis sponte offerentibus intellexerint hoc illis non fore ingratum. Neque motieat quemquam ille scrupulus, ne omnium de quibus inaudierit sit ipse rationem Deo redditurus, sed contulata Superiorem, & sciat omnia tempus habere. Cùm odorem virtutum, in primis vero assiduitatis in oratione, in studijs, in mortificatione passionum domi sparserimus, ab omnibus expetemur: Virtus nunquam diu tota latuit. *Christus ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere*: fietque præterea vt auctoritate ex virtute parta plus vno verbo efficiatis, quam infinitis sermonibus temerè circumcursantes.

Qui denique totos dies & annos sunt in itineribus, vel sunt ita necessarijs negotijs distenti, *vt nec spatium manducandi habeant*, his præ cæteris cura esse debet hora somni atq; surgendi, vt noctu ad Examen, mane ad orationem integrè præstandam tempus sit, & si fieri possit, etiam horas recitent antequam vacet domesticis ipsos interpellare. Periculosa res est tempus somno & negotijs extrahere, & existimare deinde fatistecisse se instituto si in itinere abluant meditationem. Abundè nobiscum agitur si in medijs campis, circumstrepentibus vndique omnis generis hominibus & rebus, ardente sole, vento & pluuia ingruente, corpore & capite fatigato, præsentia Dei omnia spectantis & iudicantis, vel Christi *Iesu* intus in corde vniuscuiusque habitantis meminerimus, & aspirationes ex psalmis vel aliunde nobis familiares in Deum & Sanctos dirigere possimus (quæ genera exercitiorum in promptu esse debent omnibus qui in hac missione versantur) Sed vnde has guttas, vel hos aquæ dulcis riuos hauriemus nisi ex sedato fonte orationis?

Examina facilius fient in itinere; quæ nec ij qui sunt affixi cubiculo debent omittere tanquam minus necessaria, cùm in Collegijs & in ipsis Spiritualibus Exercitijs ab omnibus exigantur, & præter examen cogitationum & actionum singularum, tum etiam mediõrum quibus illæ perficiantur, contineant quatuor actus, quibus nescio an sublimiores, vel vtiliores elici à quoquâ possint. Ijs vero qui conuersationi multæ sunt dediti quam sit duplex Examen Conscientiæ vtile & omnino necessarium, praxis S.P.N. *Ignatij* satis ostendit, qui in singulas horas solebat à seipso exigere rationem; & p. m. Pater *Clau-dius Aquauia* monet, cùm neque ab infirmis ea prætermitti voluerit.

mo.

XXX. Vt autem illa etiam breuiter ad certa Capita referam quæ <sup>1635.</sup> modum conuersandi cum proximo continent: Is esse debet qui Castitati, <sup>de castitate</sup> qui paupertati, qui Obedientiæ, qui denique Nomini Societatis sit contentaneus. Optarem itaque vnumquemque non paucas horas per interualla tribuere dignitati virtutis Castitatis serio perpendendæ: Quam sit illa Deo, B. Virgini, Angelis, Sanctis omnibus grata vt est certe simillima; quàm Sacerdotum noui Testamenti officio congrua; quàm Humanitati Christi Domini in Sanctissimo Sacramento amplectendæ propria, quàm vulgò admiranda; quàm incorruptioni ad quam anhelamus vicina; quàm immortalis sit eius memoria apud Deum & homines; Hanc si amauimus, si vt sponsam, & in ea Christum Dominum nobis intimo affectu coniunximus, facile erit portas sensuum, oculorum præcipuè, aurium & linguæ ab omni inordinatione custodire: sine qua Custodia flos & decor Castitatis euanescit: Facile, vt ea quæ Religiosos decet grauitas & modestia retineatur, nemo alium etiam iocotanget; Quod si obseruandum est diligenter inter Nostros, quanto magis erga seculares omnes viros, mulieres, pueros, & facile denique omnem particularem affectum erga quosuis præcidemus, à quo (si vel tantillum admittatur) ingens periculum Castitati creetur necesse est. <sup>Ind. c. 8.</sup> <sup>99.</sup> Quare reuocandum sæpe in memoriam, & praxi quotidiana vsurpandum monitum illud P. *Claudij* Aquauinæ, "si peculiari aliquo affectu etiam naturali, & veluti sympathia, affici se erga aliquem sentiat, curet statim initio omnem extraordinariam communicationem abrumpere, & communi tantum caritate illum amplecti: Vix enim dici potest quanta incommoda oblocutionum, detractorum, querelarum, delationum, suspicionum, inimicitiarum, conuenticulorum, munusculorum, & similibus ex singulari, & extraordinaria communicatione oriuntur: & infra: "non est dubium quin tentationibus contra Castitatem tales infirmi frequenter pulsentur, licet interdum attendere vel dissimulent, vel negligant; sed morbi ipsius periculum, & lapsus grauitas & ignominia & pleraque alia ad medicinam exstimulant.

Paupertatem vobis cordi esse monstrabit in conuersatione cum domesticis & externis, si non verbo solo, sed facto ipso curetis intelligant vos <sup>De Pauper</sup> gratis dare quæ gratis accepistis, si pauperum & tenuiorum præcipuam curam habeatis, si libenter eos aditis, si vt moent Constitutiones, suis temporibus paupertatis effectus aliquos experimini, simplicibus vtendo, quantum loci ratio patitur, & amore pauperis Christi gaudento cum in victus, vestitus, & lecti ratione, ea quæ vilissima sunt domi vel foris vobis fortasse <sup>De Pauper</sup> tribuentur. Quomodo enim diligere dicendus est Paupertatem, qui ea quæ pauperum sunt propria auersatur? Denique quod in instructione antiqua pro renouatione spiritus præscribitur, & repetitur in Monitis generalibus est diligenter notandum, "Nostri iter agentibus (de quorum numero nemo qui in Missionem versatur se potest eximere) vt de necessario viatico debita cum caritate prouidendum est, ita nulla ratione permittendum vt pecunia <sup>tate.</sup> illis